

ecclesiae ac successores suos, quicumque pro tempore fuerint, promittimus bona fide totaliter et fideliter promovere in ipsa decima et eos in iure, concessione ac donatione ipsius decimae de cetero nullatenus inpedire, immo ex nunc de eadem ex toto cedimus et cedendo concedimus et donamus dictam decimam Misnensi ecclesiae ius, si quod nobis competebat in eadem decima, in ius et dominium eiusdem ecclesiae Misnensis libere et totaliter transferendo, ita quod praedictus dominus et amicus noster Bernhardus venerabilis episcopus praenotatus et sui successores perpetuo gaudeant dictae decimae possessione pacifica et quieta. In cuius rei evidens testimonium praesentes conscribi fecimus litteras et eas sigilli nostri munimine roborari, testibus praesentibus infrascriptis, videlicet nobilibus viris Meinhero burgravio de Misna, Alberto burgravio de Lyznic, Heinrico de Koldytz, Heinrico de Trebezin seniore, Vlrico de Maltytz, Thilicone de Hunesberc, Reinhardo de Hersuelde, Heinrico de Kunegesuelte, Reinhardo de Seweschin et aliis quam pluribus fide dignis. Actum et datum in Egra anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto VIII^o. Kalendas Septembris.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem beschädigten Reitersiegel des Markgrafen an einem Pergamentstreifen.

No. 316. 1294. 10. Sept.

B. Bernhard erklärt, dass Markgraf Heinrich eine Vicarie bei der Domkirche gestiftet und Markgraf Friedrich die nach Heinrichs Ableben einige Zeit unterbliebene Zahlung an den Vicar neuerdings zu leisten angeordnet habe. Vgl. No. 125 und 313.

Nos Bernhardus dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus recognoscimus praesentibus publice profitentes, quod recolendae memoriae illustris princeps, dominus Henricus quondam Misnensis et Orientalis marchio, in remedium animae suae, parentum suorum nec non Conradi bonae memoriae militis dicti Machschraben, in eius servitio defuncti, vicariam perpetuam in ecclesia Misnensi instituit, et ipsam sex talentis annui census dotavit, tribus¹⁾ in festo Walpurgis et tribus¹⁾ in festo sancti Michaelis in moneta Vriberg annis singulis persolvendis, dans capitulo Misnensi ius conferendi eandem vicariam viro idoneo et honesto. Qui census dicto domino marchione defuncto aliquamdiu fuit minime persolutus. Tandem dominus Fridericus illustris princeps, Misnensis et Orientalis marchio et Saxoniae comes palatinus precibus nostris inclinatus statuit et ordinavit, quod praedicta sex talenta in terminis infra scriptis, videlicet in festo Walpurgis et Donati absque diminutione qualibet in antea vicario, qui eidem vicariae pro tempore deservierit, annis singulis solvi debent. In cuius rei testimonium hanc litteram scribi et sigilli nostri munimine iussimus roborari. Datum Misnae anno domini M^o.CC^o. nonagesimo quarto, quarto Idus Septembris, pontificatus nostri anno secundo.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Bischofs an einem Pergamentstreifen.

1) *tria* im Orig.